



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Beneficia Vetera Et Nova, Divæ Virginis Dittelbacensis

Sang, Eucharius

Wirceburgi, 1607

Capvt VI. Mulier ex casu saucia consanescit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64129](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64129)

CAPVT VI.

Mulier ex casu faucia con-
sanescit.

Nouum suæ parentis domicilium pergit
DEVS beneficio exornare, superiori
haud ignobiliore; eodem fermè tempore.

In pago Scheinfeld, fæmina, cui nomen Barbara, rem familiarem curatura, conscendit pergulam, fortè, ex asseribus constructam; dumque non satis circumspicit, & periculum notat, indè cadit in sepep è lignis quernis factam & acuminatis. Cruentatam miserabiliter ex casu fæminam aspicientes aiebant omnes, de vita actum esse; non tamen ipsa: inter cadendum namque, vt alijs postmodum narrauit, Mariam in clamauerat, opem eius rogarat; quin sepi adhuc infixam, votum conceperat, sanitate reddita, se imaginem in Sacello Dettelbacensi piè culturam. Audiuit preces Diua. Extracta ab acuminatis sudibus, quibus per casum se induerat, iacuit ad horam (si non amplius) semiuiua, & propemodum exanimis. Tandem ad se reuersa: Gratias tibi, inquit, ago, ô Cœli Regina, quæ rogata, opem non negasti tuam: tuis meritis salutem adeptam sum. Non ego, dum caderem, eram sola; mecum tu eras; tu manum, quando in ipsum meum ruebam exi-

tium,

tium, supponebas. Felix, iterumque felix, qui sub tua degit cura ac tutela. Ab eo tempore, paulatim sanescere cepit, absque vlla medica manu. Sana autem, Dettelbachium proficiscitur, votum bona fide soluit, & munus offert cum laude.

A graui & miserabili casu in peccatum, tuum
apud Filium, nos, precibus serua;
ô Virgo & Mater DEI.

CAPVT. VII.

Surda vsu aurium recipit.



Plendorem adfert Sacello nouo Oxouium quoque, primæ Ecclesiæ Virceburgensis, opidum. In eo, fæmina, anno M. D. VII. ex sæua corporis infirmitate obsurduit, vt vtraque aure capta, nihil audiret, signisque potius ac nutibus, quam verbis cum ea agendum esset. Durauit morbus, duos, & amplius, menses. Prius verò inaudierat, ægris & infirmis multa, per Deiparæ Dettelbacensis imaginem, dona & beneficia concessa: voto itaque de hac salutanda emisso, spem concipit valetudinis, quæ nec irrita fuit; intra paucos enim dies, lata, vsu aurium recepit. Cæterum salus ingrata reddita, fit exitialis. paucis enim post diebus corripitur morbo comitiali, ac fiunt nouissima

priori-